

26TH LATIN SUMMER SCHOOL

13th-17th JANUARY 2020

Eastern Avenue Building, University of Sydney

LEVEL 4 iv

Instructor: James Uden



LATIN SUMMER SCHOOL 2020

Level 4: Juvenal's Late Style

James Uden (Boston University, USA), uden@bu.edu

The *Satires* of Juvenal, written in the first three decades of the second century AD, remain a popular text among students of Latin literature. Yet our attention is almost always drawn to the early works, probably written in the poet's middle age. We read the furious, explosive denunciations of Roman vice and the evils of the city (*Satires* 1 and 3), and perhaps the long rant against marriage (*Satire* 6). Some may also have read the poem that Samuel Johnson adapted as 'The Vanity of Human Wishes' (*Satire* 10), but that tends to be an isolated excursion into the poet's later works.

In this class, though, we take a look at Juvenal's final surviving book, written soon after the year 127 and presumably near the end of the poet's life. In exploring Juvenal's little-read fifth book, we will face some recurring questions. Has he changed? Do we still see the angry moralist, or, as some have argued, has anger been replaced by a more detached, philosophical irony? Can we trace images and ideas from the early books into the later ones, or has there been a revolution in the poet's worldview? In short, does Juvenal have a 'late style'? Or is it all one and the same?

Juvenal's fifth book essays a wide range of topics. It begins with *Satire* 13, in which the poet describes a man who has lost a sum of money and angrily encourages the gods to avenge his loss. By mocking this man's fury, Juvenal may invite us to think critically about anger. What's the point of getting mad? The poem's theological imagery also intriguingly reflects religious changes in the Roman Empire. *Satire* 14 is about childhood education, and contains the memorable saying that 'the greatest reverence is due to a child' (*maxima debetur puero reverentia*, 47). Juvenal describes all the many things that can go wrong in training our children, a theme strangely interwoven with denunciations of land-grubbing and money-hoarding. Proper education and proper management of resources, it seems, go hand-in-hand for Juvenal. *Satire* 15 is an outlandish attack on Egyptian cannibals, full of fantastical elements and gruesome details. In one of Juvenal's bizarre twists, the poem concludes with a moving (or is it ironic?) hymn to the lost value of *humanitas*. Finally, the now-fragmentary *Satire* 16 is another poem that speaks to Imperial concerns. It describes the Roman army; the poet angrily complains that soldiers are abusing the liberties and privileges given to them by the government.

After that, Juvenal goes silent. Indeed, after him, Latin verse satire seems to have gone quiet for centuries. In this class, we explore this final book of Juvenal, and we will decide together how to characterize his style. Are these poems embittered harangues in the old style? A final attempt to renew the rhetorical force and energy of his earlier career? Or more mature and resigned reflections on a world turned upside down?

Commentaries and Translations

For our class, I have chosen representative excerpts from *Satires* 13, 14, and 15 (approximately 300 lines); if we get time, we'll quickly take a look at the fragment of *Satire* 16 as well. Juvenal's Latin is not easy. To help you prepare, you might like to look at John Ferguson's helpful student commentary on the complete poems of Juvenal printed by Macmillan in 1979, and reprinted by Bristol Classical Press in 1999, or the scholarly commentary by Edward Courtney, printed by Athlone Press in 1980, and now available as a free online resource through the University of California Press (<https://escholarship.org/uc/item/4jh846pn>). Two scholars are now separately preparing commentaries devoted entirely to Book Five, although unfortunately neither will be published in time for our class (John Godwin is writing one for the Aris and Phillips series, and Catherine Keane is writing one for the Cambridge 'Greek and Yellow' series).

If you wish to consult an English version, Susanna Morton Braund's Loeb translation is a faithful prose translation, and Peter Green's Penguin is probably the most stylish modern verse translation (first published in 1967, but much revised by Green in the third edition, 1997). When we're reading the Latin in class, I do think it's useful and enjoyable to compare different historical translations, so that we can feel part of a larger historical conversation about Juvenal's ext. I'll bring in some notable renderings. *Satires* 13 and 14 in particular were eighteenth-century favorites, and there are some strange and brilliant versions for us to read together.

Further reading

There is absolutely no need to look at any secondary resources to prepare for class, but I put here some suggestions for where to look in the library if you are still eager to explore.

Anderson, W.S. 1982. *Essays on Roman Satire*. Princeton: Princeton University Press.

Braund, S.H. 1988. *Beyond Anger: A Study of Juvenal's Third Book of Satires*. Cambridge: Cambridge University Press.

Geue, T. 2017. *Juvenal and the Poetics of Anonymity*. Cambridge: Cambridge University Press.

Keane, C. 2015. *Juvenal and the Satiric Emotions*. Oxford: Oxford University Press.

Rudd, N. 1986. *Themes in Roman Satire*. Norman: University of Oklahoma Press.

Uden, J. 2015. *The Invisible Satirist: Juvenal and Second-Century Rome*. Oxford: Oxford University Press.

1. *Satire* 13.1-70

The satirist confronts a man called Calvinus, who is furious because his money has been stolen.

| | |
|--|--|
| exemplo quodcumque malo committitur, ipsi displicet auctori. prima est haec ultio, quod se iudice nemo nocens absoluitur, improba quamuis gratia fallaci praetoris uicerit urna. | |
| quid sentire putas homines, Caluine, recenti de scelere et fidei uiolatae crimine? sed nec tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris iacturae te mergat onus, nec rara uidemus quae pateris: casus multis hic cognitus ac iam tritus et e medio fortunae ductus aceruo. | 5 10 |
| ponamus nimios gemitus. flagrantior aequo non debet dolor esse uiri nec uolnere maior. tu quamuis leuium minimam exiguamque malorum particulam uix ferre potes spumantibus ardens uisceribus, sacrum tibi quod non reddat amicus depositum? stupet haec qui iam post terga reliquit sexaginta annos Fonteio consule natus? an nihil in melius tot rerum proficis usu? | 15 20 |
| magna quidem, sacris quae dat praecepta libellis, uictrix fortunae sapientia, ducimus autem hos quoque felices, qui ferre incommoda uitae nec iactare iugum uita didicere magistra. quae tam festa dies, ut cesset prodere furem, perfidiam, fraudes atque omni ex crimine lucrum quaesitum et partos gladio uel pyxide nummos? rari quippe boni, numera, uix sunt totidem quot Thebarum portae uel diuitis ostia Nili. nona aetas agitur peioraque saecula ferri temporibus, quorum sceleri non inuenit ipsa nomen et a nullo posuit natura metallo. | 25 30 |
| nos hominum diuomque fidem clamore ciemus | |

quanto Faesidium laudat uocalis agentem
 sportula? dic, senior bulla dignissime, nescis
 quas habeat ueneres aliena pecunia? nescis
 quem tua simplicitas risum uulgo moueat, cum 35
 exigis a quoquam ne peieret et putet ullis
 esse aliquod numen templis araeque rubenti?

quondam hoc indigenae uiuebant more, priusquam
 sumeret agrestem posito diademate falcem
 Saturnus fugiens, tunc cum uirguncula Iuno 40
 et priuatus adhuc Idaeis Iuppiter antris;
 nulla super nubes conuiuia caelicolarum
 nec puer Iliacus formonsa nec Herculis uxor
 ad cyathos et iam saccato nectare tergens
 bracchia Volcanus Liparaea nigra taberna; 45
 prandebat sibi quisque deus nec turba deorum
 talis ut est hodie, contentaque sidera paucis
 numinibus miserum urguebant Atlanta minori
 pondere; nondum imi sortitus triste profundi
 imperium Sicula toruos cum coniuge Pluton, 50
 nec rota nec Furiae nec saxum aut uolturis atri
 poena, sed infernis hilares sine regibus umbrae.
 improbitas illo fuit admirabilis aeuo,
 credebant quo grande nefas et morte piandum
 si iuuenis uetulo non adsurrexerat et si 55
 barbato cuicumque puer, licet ipse uideret
 plura domi fraga et maiores glandis aceruos;
 tam uenerabile erat praecedere quattuor annis
 primaque par adeo sacrae lanugo senectae.

nunc si depositum non infitietur amicus, 60
 si reddat ueterem cum tota aerugine follem,
 prodigiosa fides et Tuscis digna libellis
 quaeque coronata lustrari debeat agna.
 egregium sanctumque uirum si cerno, bimembri
 hoc monstrum puero et miranti sub aratro 65
 piscibus inuentis et fetae comparo mulae,

sollicitus, tamquam lapides effuderit imber
 examenque apium longa consederit uua
 culmine delubri, tamquam in mare fluxerit amnis
 gurgitibus miris et lactis uertice torrens. 70

2. *Satire* 13.210-49

Do you think a criminal ever goes unpunished? No: he is tortured by his conscience.

cedo si conata peregit?
 perpetua anxietas nec mensae tempore cessat
 faucibus ut morbo siccis interque molares
 difficili crescente cibo, Setina misellus
 expuit, Albani ueteris pretiosa senectus
 displicet; ostendas melius, densissima ruga 215
 cogitur in frontem, uelut acri, ducta Falerno.
 nocte breuem si forte indulsit cura soporem
 et toto uersata toro iam membra quiescunt,
 continuo templum et uiolati numinis aras
 et, quod praecipuis mentem sudoribus urguet, 220
 te uidet in somnis; tua sacra et maior imago
 humana turbat pauidum cogitque fateri.
 hi sunt qui trepidant et ad omnia fulgura pallent,
 cum tonat, exanimes primo quoque murmure caeli,
 non quasi fortuitus nec uentorum rabie sed 225
 iratus cadat in terras et iudicet ignis.
 illa nihil nocuit, cura grauiore timetur
 proxima tempestas uelut hoc dilata sereno.
 praeterea lateris uigili cum febre dolorem
 si coepere pati, missum ad sua corpora morbum 230
 infesto credunt a numine; saxa deorum
 haec et tela putant. pecudem spondere sacello
 balantem et Laribus cristam promittere galli
 non audent; quid enim sperare nocentibus aegris
 concessum? uel quae non dignior hostia uita? 235

[mobilis et uaria est ferme natura malorum.]
 cum scelus admittunt, superest constantia; quod fas
 atque nefas tandem incipiunt sentire peractis
 criminibus. tamen ad mores natura recurrit
 damnatos fixa et mutari nescia. nam quis 240
 peccandi finem posuit sibi? quando recepit
 eiectum semel attrita de fronte ruborem?
 quisnam hominum est quem tu contentum uideris uno
 flagitio? dabit in laqueum uestigia noster
 perfidus et nigri patietur carceris uncum 245
 aut maris Aegaei rupem scopulosque frequentes
 exulibus magnis. poena gaudebis amara
 nominis inuisi tandemque fatebere laetus
 nec surdum nec Teresian quemquam esse deorum.

3. *Satire* 14.1-49

It is all too easy for children to be corrupted by their parents. So take care!

plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra
 et nitidis maculam haesuram figentia rebus,
 quae monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
 si damnosa senem iuuat alea, ludit et heres
 bullatus paruoque eadem mouet arma fritillo. 5
 nec melius de se cuiquam sperare propinquo
 concedet iuuenis, qui radere tubera terrae,
 boletum condire et eodem iure natantis
 mergere ficedulas didicit nebulone parente
 et cana monstrante gula. cum septimus annus 10
 transierit puerum, nondum omni dente renato,
 barbatus licet admoueat mille inde magistros,
 hinc totidem, cupiet lauto cenare paratu
 semper et a magna non degenerare culina.
 mitem animum et mores modicis erroribus aequos 15
 praecipit atque animas seruorum et corpora nostra

materia constare putat paribusque elementis,
 an saeuire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
 plagarum strepitu et nullam Sirena flagellis
 comparat, Antiphates trepidi laris ac Polyphemus, 20
 tunc felix, quotiens aliquis tortore uocato
 uritur ardenti duo propter lintea ferro?
 quid suadet iuueni laetus stridore catenae,
 quem mire adficiunt inscripta, ergastula, carcer?
 rusticus expectas ut non sit adultera Largae 25
 filia, quae numquam maternos dicere moechos
 tam cito nec tanto poterit contexere cursu
 ut non ter deciens respiret? conscia matri
 uirgo fuit, ceras nunc hac dictante pusillas
 implet et ad moechum dat eisdem ferre cinaedis. 30
 sic natura iubet: uelocius et citius nos
 corrumpunt uitiorum exempla domestica, magnis
 cum subeant animos auctoribus. unus et alter
 forsitan haec spernant iuuenes, quibus arte benigna
 et meliore luto finxit praecordia Titan, 35
 sed reliquos fugienda patrum uestigia ducunt
 et monstrata diu ueteris trahit orbita culpae.
 abstineas igitur damnandis. huius enim uel
 una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
 ex nobis geniti, quoniam dociles imitandis 40
 turpibus ac prauis omnes sumus, et Catilinam
 quocumque in populo uideas, quocumque sub axe,
 sed nec Brutus erit Bruti nec auunculus usquam.
 nil dictu foedum uisuque haec limina tangat
 intra quae pater est. procul, a procul inde puellae 45
 lenonum et cantus pernoctantis parasiti.
 maxima debetur puero reuerentia, si quid
 turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
 sed peccaturo obstet tibi filius infans.

4. *Satire* 14.303-331

The worst vice your child can inherit is greed. How much money do we really need?

tantis parta malis cura maiore metuque
 seruantur: misera est magni custodia census.
 dispositis praediues amis uigilare cohortem 305
 seruorum noctu Licinus iubet, attonitus pro
 electro signisque suis Phrygiaque columna
 atque ebore et lata testudine. dolia nudi
 non ardent Cynici; si fregeris, altera fiet
 cras domus aut eadem plumbo commissa manebit. 310
 sensit Alexander, testa cum uidit in illa
 magnum habitatorem, quanto felicior hic qui
 nil cuperet quam qui totum sibi posceret orbem
 passurus gestis aequanda pericula rebus.
 nullum numen habes, si sit prudentia: nos te, 315
 nos facimus, Fortuna, deam. mensura tamen quae
 sufficiat census, si quis me consulat, edam:
 in quantum sitis atque fames et frigora poscunt,
 quantum, Epicure, tibi paruis suffecit in hortis,
 quantum Socratici ceperunt ante penates; 320
 numquam aliud natura, aliud sapientia dicit.
 acribus exemplis uideor te cludere? misce
 ergo aliquid nostris de moribus, effice summam
 bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.
 haec quoque si rugam trahit extenditque labellum, 325
 sume duos equites, fac tertia quadringenta.
 si nondum impleui gremium, si panditur ultra,
 nec Croesi fortuna umquam nec Persica regna
 sufficient animo nec diuitiae Narcissi,
 indulsit Caesar cui Claudius omnia, cuius 330
 paruit imperiis uxorem occidere iussus.

5. *Satire* 15.1-83

The horrors of Egypt: mad religion, brutal violence, and worst of all: cannibalism.

quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
 Aegyptos portenta colat? crocodilon adorat
 pars haec, illa pauet saturam serpentibus ibin.
 effigies sacri nitet aurea cercopithecii,
 dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae 5
 atque uetus Thebe centum iacet obruta portis.
 illic aeluros, hic pisces fluminis, illic
 oppida tota canem uenerantur, nemo Dianam.
 porrum et caepe nefas uiolare et frangere morsu
 (o sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis 10
 numina!), lanatis animalibus abstinet omnis
 mensa, nefas illic fetum iugulare capellae:
 carnibus humanis uesci licet. attonito cum
 tale super cenam facinus narraret Vlixes
 Alcino, bilem aut risum fortasse quibusdam 15
 mouerat ut mendax aretalogus. 'in mare nemo
 hunc abicit saeua dignum ueraque Charybdi,
 fingentem inmanis Laestrygonas et Cyclopas?
 nam citius Scyllam uel concurrentia saxa
 Cyaneis plenos et tempestatibus utres 20
 crediderim aut tenui percussum uerbere Circes
 et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
 tam uacui capitis populum Phaeaca putauit?'
 sic aliquis merito nondum ebrius et minimum qui
 de Corcyraea temetum duxerat urna; 25
 solus enim haec Ithacus nullo sub teste canebat.
 nos miranda quidem sed nuper consule Iunco
 gesta super calidae referemus moenia Copti,
 nos uolgi scelus et cunctis grauiora coturnis;
 nam scelus, a Pyrrha quamquam omnia syrmata volvas 30
 nullus apud tragicos populus facit. accipe nostro

dira quod exemplum feritas produxerit aeuo.

inter finitimos uetus atque antiqua similtas,
 immortale odium et numquam sanabile uulnus,
 ardet adhuc Ombos et Tentura. summus utrimque 35
 inde furor uolgo, quod numina uicinorum
 odit uterque locus, cum solos credat habendos
 esse deos quos ipse colit. sed tempore festo
 alterius populi rapienda occasio cunctis
 uisa inimicorum primoribus ac ducibus, ne 40
 laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia cenae
 sentirent positis ad templa et compita mensis
 peruigilique toro, quem nocte ac luce iacentem
 septimus interdum sol inuenit. horrida sane
 Aegyptos, sed luxuria, quantum ipse notauit, 45
 barbara famoso non cedit turba Canopo.
 adde quod et facilis uictoria de madidis et
 blaesis atque mero titubantibus. inde uirorum
 saltatus nigro tibicine, qualiacumque
 unguenta et flores multaeque in fronte coronae: 50
 hinc ieiunum odium. sed iurgia prima sonare
 incipiunt; animis ardentibus haec tuba rixae.
 dein clamore pari concurritur, et uice teli
 saeuit nuda manus. paucae sine uolnere malae,
 uix cuiquam aut nulli toto certamine nasus 55
 integer. aspiceres iam cuncta per agmina uoltus
 dimidios, alias facies et hiantia ruptis
 ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
 ludere se credunt ipsi tamen et puerilis
 exercere acies quod nulla cadauera calcent. 60
 et sane quo tot rixantis milia turbae,
 si uiuunt omnes? ergo acrior impetus et iam
 saxa inclinatis per humum quaesita lacertis
 incipiunt torquere, domestica seditioni
 tela, nec hunc lapidem, qualis et Turnus et Aiax, 65
 uel quo Tydides percussit pondere coxam

Aeneae, sed quem ualeant emittere dextrae
 illis dissimiles et nostro tempore natae.
 nam genus hoc uiuo iam decrescebat Homero,
 terra malos homines nunc educat atque pusillos; 70
 ergo deus, quicumque aspexit, ridet et odit.
 a deuerticulo repetatur fabula. postquam
 subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
 audet et infestis pugnam instaurare sagittis.
 terga fugae celeri praestant instantibus Ombis 75
 qui uicina colunt umbrosae Tentura palmae.
 labitur hic quidam nimia formidine cursum
 praecipitans capiturque. ast illum in plurima sectum
 frustra et particulas, ut multis mortuus unus
 sufficeret, totum corrosis ossibus edit 80
 uictrix turba, nec ardenti decoxit aeno
 aut ueribus, longum usque adeo tardumque putauit
 expectare focos, contenta cadauere crudo.

6. Satire 15.131-74:

What happened to our humanity? Does that quality exist anymore?

mollissima corda
 humano generi dare se natura fatetur,
 quae lacrimas dedit. haec nostri pars optima sensus.
 plorare ergo iubet causam dicentis amici
 squaloremque rei, pupillum ad iura uocantem 135
 circumscriptorem, cuius manantia fletu
 ora puellares faciunt incerta capilli.
 naturae imperio gemimus, cum funus adultae
 uirginis occurrit uel terra clauditur infans
 et minor igne rogi. quis enim bonus et face dignus 140
 arcana, qualem Cereris uolt esse sacerdos,
 ulla aliena sibi credit mala? separat hoc nos
 a grege mutorum, atque ideo uenerabile soli

sortiti ingenium diuinorumque capaces
 atque exercendis pariendisque artibus apti 145
 sensum a caelesti demissum traximus arce,
 cuius egent prona et terram spectantia. mundi
 principio indulsit communis conditor illis
 tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
 adfectus petere auxilium et praestare iuberet, 150
 dispersos trahere in populum, migrare uetusto
 de nemore et proavis habitatas relinquere siluas,
 aedificare domos, laribus coniungere nostris
 tectum aliud, tutos uicino limine somnos
 ut conlata daret fiducia, protegere armis 155
 lapsum aut ingenti nutantem uolnere ciuem,
 communi dare signa tuba, defendier isdem
 turribus atque una portarum claue teneri.

sed iam serpentum maior concordia. parcit
 cognatis maculis similis fera. quando leoni 160
 fortior eripuit uitam leo? quo nemore umquam
 expirauit aper maioris dentibus apri?
 Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
 perpetuam, saeuis inter se conuenit ursis.
 ast homini ferrum letale incude nefanda 165
 produxisse parum est, cum rastra et sarcula tantum
 adsueti coquere et marris ac uomere lassi
 nescierint primi gladios extendere fabri.
 aspicimus populos quorum non sufficit irae
 occidisse aliquem, sed pectora, bracchia, uoltum 170
 crediderint genus esse cibi. quid diceret ergo
 uel quo non fugeret, si nunc haec monstra uideret
 Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
 tamquam homine et uentri indulsit non omne legumen?

Optional further reading**Satire 16 (fragment)**

Soldiers in the Roman army are out of control, and they abuse the benefits given to them.

quis numerare queat felicis praemia, Galli,
 militiae? nam si subeuntur prospera castra
 <nil tibi di possunt donare optatius. ergo>
 me pauidum excipiat tironem porta secundo
 sidere. plus etenim fati ualet hora benigni
 quam si nos Veneris commendet epistula Marti 5
 et Samia genetrix quae delectatur harena.
 commoda tractemus primum communia, quorum
 haut minimum illud erit, ne te pulsare togatus
 audeat, immo, etsi pulsetur, dissimulet nec
 audeat excussos praetori ostendere dentes 10
 et nigram in facie tumidis liuoribus offam
 atque oculum medico nil promittente relictum.
 Bardaicus iudex datur haec punire uolenti
 calceus et grandes magna ad subsellia surae
 legibus antiquis castrorum et more Camilli 15
 seruato, miles ne uallum litiget extra
 et procul a signis. 'iustissima centurionum
 cognitio est' inquis 'de milite, nec mihi derit
 ultio, si iustae defertur causa querellae.'
 tota cohors tamen est inimica, omnesque manipuli 20
 consensu magno efficiunt curabilis ut sit
 uindicta et grauior quam iniuria. dignum erit ergo
 declamatoris mulino corde Vagelli,
 cum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot
 milia clauorum. quis tam procul adsit ab urbe 25
 praeterea, quis tam Pylades, molem aggeris ultra
 ut ueniat? lacrimae siccentur protinus, et se
 excusaturos non sollicitemus amicos.
 'da testem' iudex cum dixerit, audeat ille

nescio quis, pugnos qui uidit, dicere 'uidi,' 30
 et credam dignum barba dignumque capillis
 maiorum. citius falsum producere testem
 contra paganum possis quam uera loquentem
 contra fortunam armati contraque pudorem.

praemia nunc alia atque alia emolumenta notemus 35
 sacramentorum. conuallem ruris auiti
 improbus aut campum mihi si uicinus ademit
 et sacrum effodit medio de limite saxum,
 quod mea cum patulo coluit puls annua libo,
 debitor aut sumptos pergit non reddere nummos 40

uana superuacui dicens chirographa ligni,
 expectandus erit qui lites incohet annus
 totius populi. sed tum quoque mille ferenda
 taedia, mille morae; totiens subsellia tantum
 sternuntur, iam facundo ponente lacernas 45
 Caedicio et Fusco iam micturiente parati
 digredimur, lentaque fori pugnamus harena.
 ast illis quos arma tegunt et balteus ambit
 quod placitum est ipsis praestatur tempus agendi,
 nec res atteritur longo sufflamine litis. 50

solis praeterea testandi militibus ius
 uiuo patre datur. nam quae sunt parta labore
 militiae placuit non esse in corpore census,
 omne tenet cuius regimen pater. ergo Coranum
 signorum comitem castrorumque aera merentem 55
 quamuis iam tremulus captat pater; hunc fauor aequus
 prouehit et pulchro reddit sua dona labori.
 ipsius certe ducis hoc referre uidetur
 ut, qui fortis erit, sit felicissimus idem,
 ut laeti phaleris omnes et torquibus, omnes...